

Sab 1

Iam rēs Romana adeō erat valida ut cuilibet finitimārum civitātum bellō par esset, sed penuriā mulierum hominis aetatem duratūra magnitudō erat, quod Romanīs nec domī spes prolis nec cum finitimīs conubia erant.

Sab 2

[2] Tum ex consiliō partum Romulus legatōs circa vicinās gentēs misit quī societatem conubiumque novō populō peterent. [3] Urbes quōque, ut cetera, ex infimō locō nasci *legatī dicēbant*. Dein, *urbēs* quās sua virtus ac dī iuvent, magnās opēs sibī magnumque nomen facere *legatī declarābant*.

Sab 3.

[5] Nusquam benignē legatiō audita est: simul spernēbant, simul tantam in mediō crescentem mōlem sibi ac posterīs suīs metuebant. *Legāti dimissī sunt* plerisque rogitantibus num feminīs quōque asylum aperuissent; id enim par cōnūbium fore *finitimī dictitābant*. [6] Aegrē id Romana pubes *passa est* et haud dubiē ad vīm spectāre coepit. Cū tempus locumque aptum ut dāret Romulus aegritūdinem animī dissimulans ludōs ex industriā parat Neptūnō equestrī sollemnēs; Consuālia vocat.

Sab 4

[7] Indicī deinde finitimīs spectāculum iubet et *magno apparatū deum* concelebrant ut *eius* spectacula clara exspectataque facerent. [8] Multī mortālēs convenēre, studiō

etiam videndae novae urbis, maximē proximī *gentēs*, Caeninensēs, Crustumini, Antemnatēs. [9] Iam Sabinōrum omnis multitudō cum liberīs ac coniugibus vēnit. Invitatī hospitāliter pēr domōs cum sītum moeniaque et frequentem tectīs urbem vidissent, mirāntur tām brevī *tempore* rem Romānam crevisse.

Sab 5

[10] Ubi spectaculī tempus vēnit deditaeque eī mentēs cum oculīs erant, tum ex compositō orta vis *est* signōque datō iuventus Romana ad rapiendās virginēs discurrit. [11] *Virgō* quaeque forte ab *eo* in quem inciderat raptae *sunt*. Quāsdam formā excellentēs primoribus patrum destinatās ex plebe hominēs quibus datum negotium erat domōs deferebant.

Sab 6

[12] Unam longē ante aliās speciē ac pulchritūdīnē insignem a globō Thalassī cuiusdam raptam ferunt *homines* multisque sciscitantibus cui eam ferrent, identidem nē quis violāret Thalassiō ferri *respondēbant*. Inde nuptialem hanc vocem factam *ferunt*. [13] Turbatō per metum ludicrō maestī parentēs virginum profugiunt, incusāntēs violatī hospitīi foedus deumque invocāntes cuius ad sollemnē ludōsque pēr fas ac fidem deceptī venissent. [14] Nec raptīs aut spes de sē melior aut indignātio est minor.

Sab 7

[14] Sed ipse Romulus circumībat docebātque patrum id superbiā factum quī conūbium finitimīs nega(vi)ssent. Illās tamen in matrimoniō, in societāte fortunārum omnium civitatisque et liber(ōr)um fore *docēbat*. [15] *Ut* mollīrent modo irās et, quibus fors corpora dedisset, dārent animōs *orābat*. Saepe ex iniuriā postmodum gratiam ortam *docēbat*. [16] Accedēbant blanditiae virōrum, factum purgāntium cupiditāte atque amōre, quae maximē ad muliebre ingenium efficacēs precēs sunt.

Sab 8

Tum Sabinae mulierēs, quarum ex iniuriā bellum ortum erat, crinibus passīs scissāque veste, victo malīs muliebrī pavore, ausae sunt sē inter tela volantia inferre, ex transversō impetū factō dirimere infestas aciēs, dirimere irās, hinc patrēs, hinc virōs orantēs, ne sanguine sē nefandō socerī generīque respergerent, ne parricidiō maculārent partūs suos, nepotēs illī, hī liberōs.

Sab 9

"Si adfinitātis inter vōs, si cōnūbiū vōs piget, in nōs vertite irās; nōs causa belli, nōs volnerum ac caedium *causa* virīs ac pārentibus sumus; melius peribimus quam sine alterīs vestrum viduae aut orbae vīvēmus." Movet rēs cum multitudinem tum ducēs; silentium et repentīna fit quiēs; inde ad foedus faciendum ducēs prodeunt.

Sab 10

Nec pacem modō sed civitatem unam ex duābus faciunt. Regnum consociant:
imperium omne conferunt Romam. Ita geminatā urbe ut Sabinīs tamen aliquid
darētur Quiritēs a Curetibus appellatī *sunt*. Monumentum eius pugnae ubi primum
ex profundā emersus palude equus Curtium in vadō statuit, Curtium lacum
appellā(vē)runt.